

graphi, Viri optimi, vota, quibus deesse religioni duxi, tum imposita mihi laboris necessitas, Viris ad hæc me longe aptioribus aliis rebus intentis; tum subsidiorum, quæ in Cel. Suiceri Chronologia continuanda maximè me iuvarent, penuria; tum urgens denique prelum. Hæc autem si Te exorare non poterunt, probabis saltem conatum studiumque, quo Compendium nostrum manibus Studiosorum ne eximeretur, sed facta ad dies nostros continuatione, Historiæ Epitomen qualemcunque exhiberet, allaboravimus. Non deerunt ut nullus dubito, qui Illud Compendiis recentioribus longissime postponendum esse judicabunt; non diffiteor, gaudent singula singularibus suis dotibus, sed nec hoc etiam quisquam facile negare sustinuerit, Nostrum vel sola Methodo, ut alias ejus virtutes intactas prætereamus, cetera longe post se relinquere; aptissima namque illa Estalis est, quæ Viris in hoc Eruditionis genere Principibus, ut se quoque imitarentur, se commendare potuerit. Nec est, quod quenquam duplex Altingii Compendium Sacrum, diversaque quoad speciem ejus Methodus tractandive ratio offendat; aliter enim
 sen-